

tatem ipsius, vos, vos benedicite Dominum. Omnes enim male viventes, etsi lingua taceant, vita Domino maledicunt. Quid prodest quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? Male vivendo multas linguas misisti in blasphemiam. Lingua tua vacat hymno, et cæteræ te intuentium vacant blasphemiiis. Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, fac voluntatem ejus. In petra ædifica, noli in arena. Audire et non facere, in arena ædificare est: audire et facere, in petra ædificare est: nec audire, nec facere, nihil ædificare est. Si in arena ædificas, ruinam ædificas: si nihil ædificas, expositus pluvie, fluminibus, ventis, ante rapieris quam steteris<sup>1</sup>. Ergo non est cessandum, sed ædificandum: nec sic ædificandum, ut ruina ædificetur; sed in petra ædificandum, ut tentatio non evertat. Si sic est, benedic Dominum: si non est sic, noli blandiri lingue tue, vitam tuam interroga, ipsa tibi respondeat. Invenis quid sis mali, gеме, confitere: confessio tua potest Dominum benedicere, sed mutatio tua in benedictione perseveret.

XXIX. «Benedicite Dominum omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus<sup>2</sup>:» Ergo in omni loco. Ibi non benedicatur, ubi non dominatur: «In omni loco dominationis ejus.» Ne forte aliquis dicat, Non possum benedicere Dominum in Oriente; quia ad Occidentem profectus est: aut, Non possum in Occidente, quia in Oriente est. «Non ab Oriente et ab Occidente, non a desertis montibus, quoniam Deus iudex est<sup>3</sup>.» Sic ubique est ut ubique benedicatur: sic undique est, ut illi undique jubiletur: sic undique benedicatur, ut undique benivivatur. «Benedicite Dominum omnia opera ejus.» Quia cum cœperis in bona vita benedicere Dominum, opera ejus cum benedicunt, non merita tua. Ipse enim per te

<sup>1</sup> Matth. vii, 24 et 27. — <sup>2</sup> Psal. cii, 22. — <sup>3</sup> Id. lxxiv, 7, 8.

et in bonum operatur, dicente Apostolo: «Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus enim est qui operatur in vobis<sup>4</sup>.» Ergo ne te extolles, quia facis verbum ejus, quia facis voluntatem ejus, voluit te humiliari, respiciendo gratiam ejus, unde hoc consecutus es. «In omni loco dominationis ejus. Benedic, anima mea, Dominum.» Ipse ultimus versus est, qui primus: benedictio a capite, benedictio in fine: a benedictione profecti sumus, ad benedictionem redeamus, in benedictione regnemus.

## ENARRATIO I

### IN PSALMUM CIII.

#### SERMO I.

#### De prima parte Psalmi.

I. DIE quidem nudiustertiano, quantum meminisse dignamini, abundanter refecti estis: sed quia nos etiam post longum sermonem avidissimi dimisistis, non putavimus Sanctitatem Vestram hodierni diei debito fraudandam; ut hoc sit de debito, illud de lucro. Psalmus qui lectus est, prope totus figuris rerum mysteriisque contextitur, et opus habet non solum nostra, sed etiam vestra non parva intentione: quanquam etiam cuncta quæ dicta sunt, possint ad litteram religiose accipi. Enumerantur enim etsi non omnia, multa tamen opera Dei, quæ nota sunt omnibus intuentibus, qui norunt et ex his quæ facta

<sup>4</sup> Philip. ii, 12, 13. — <sup>2</sup> Habitus est iste Sermo Carthagine, ex n. 13, Augustino jam sene ex Serm. ii, n. 7.

sunt et videntur, illius invisibilia intellectu conspiceret<sup>1</sup>. Videmus enim fabricam mundi amplam quamdam, ex cœlo et terra et omnium quæ in eis sunt: et ex hujus fabricæ magnitudine ac pulchritudine, fabricatoris ipsius inæstimabilem magnitudinem et pulchritudinem, et si nondum videmus, jam tamen amamus. Non enim cessavit, qui nondum potest nostri cordis puritate conspici, ante oculos nostros ponere opera sua, ut videntes quæ possumus, amemus quem videre non possumus, ut ipsius amoris merito aliquando videre possimus. Tamen in omnibus quæ dicta sunt, quærendus est etiam intellectus spiritalis, ad quem perscrutandum adjuvabant nos in Christi nomine desideria vestra: quibus quasi manibus invisibilibus ad invisibilem januam pulsatis, ut invisibiliter vobis aperiat, et invisibiliter intretis, et invisibiliter sanemini.

II. Ergo dicamus omnes: «Benedic, anima mea, Domine<sup>2</sup>.» Alloquamur omnes animam nostram: quia omnium nostrum anima, per unam fidem una anima est; et omnes nos quicumque in Christum credimus, propter unitatem corporis ejus uno homo sumus. Benedicat anima nostra Dominum, pro tantis beneficiis ejus, pro tam multis et magnis muneribus gratiarum ejus: quæ munera invenimus in hoc Psalmo intenti, et excussa nebula carnalis cogitationis, quantum possumus erecta mente, et quantum possumus directa acie, et quantum possumus puro oculo cordis nostri, quantum non impedit præsens vita, quantum non occupant rerum præsentium desideria, quantum non excæcat cupiditas sæculi. Erecti ergo audituri sumus magna, læta et pulchra, desiderabilia et plena lætitiæ gaudiorumque munera ejus, quæ jam ille qui conceperat istum Psalmum, videbat animo, et ipsius visionis exultatione ructabat, dicens, «Benedic, anima mea, Dominum.»

<sup>1</sup> Rom. 1, 20. — <sup>2</sup> Psal. ciii, 1.

III. «Domine Deus meus, magnificatus es nimis.» Vide magna quæ dicturus est: in quibus magnificis non utique nisi ille laudandus est auctor omnium magnificorum. «Confessionem et decorem induisti.» O Domine Deus meus, qui «Magnificatus es nimis, unde magnificatus es nimis?» Nonne semper magnus? nonne semper magnificus? Numquid perfectus non es, ut crescas? numquid deficiis, ut aliquando minuaris? Sed quia es quod es, et vere es, utique nomen tuum dixisti famulo tuo Moysi, «Ego sum qui sum<sup>1</sup>:» utique magnus es, et magnitudo tua sempiterna est, nec cœpit, nec desinit; nec ab initio temporis incipit, nec usque ad finem temporis excurrit, nec in medio aliquid patitur: incommutabilis enim magnitudo est. Quomodo ergo «Magnificatus es nimis?» Alius Psalmus admonet nos; ait enim: «Mirificata est scientia tua ex me<sup>2</sup>.» Si recte dicitur, «Mirificata est scientia tua ex me;» recte dicitur, «Magnificatus es nimis, Domine, Deus meus ex me.» Sed et hoc adhuc quærendum. Ex me magnificatur Deus meus? Ergo ex me fit magnus. Docet nos aliquid et quotidiana oratio salutis nostræ, «Sanctificetur nomen tuum<sup>3</sup>:» quotidie petimus, quotidie rogamus ut fiat. Si nos quisquam interroget, Quid est quod petitis, ut sanctificetur nomen Dei? Aliquando enim sanctum non est, ut modo sanctificetur? Et tamen nisi vellemus fieri, non peteremus ut fieret. Alia est enim gratulatio, alia oratio: gratulamur, ex eo quod est; oramus, ut sit quod nondum est. Quid est ergo, «Sanctificetur nomen tuum?» Et intelligimus, quod hic dictum est, «Domine Deus meus, magnificatus es nimis.» Hoc est, «Sanctificetur nomen tuum,» sanctum sit apud homines nomen tuum. Sanctum est enim semper nomen tuum, sed quibusdam immundis nondum est sanctum nomen tuum. Dicit enim

<sup>1</sup> Exod. iii, 14. — <sup>2</sup> Psal. cxxxviii, 6. — <sup>3</sup> Matth. vi, 9.

Apostolus, « Omnia munda mundis, immundis autem et » infidelibus nihil est mundum. » Si immundis et infidelibus nihil est mundum, quæro causam : « Sed polluta » sunt, inquit, eorum et mens et conscientia<sup>1</sup>. » Si nihil est mundum eis, nec Deus : nisi forte putatis mundum videri Deum illis, qui quotidie blasphemant eum. Si mundus est, placeat : si placet, laudetur. Si autem blasphematur, displicet, et si displicet, quomo tibi potest mundus esse, qui displicet? Quid ergo rogamus, « Sanctificetur » nomen tuum? » Ut illis hominibus, qui per infidelitatem nondum habent, nomen Dei sanctum sit, quibus nondum est ille sanctus, qui per se, et in se, et in sanctis suis sanctus est. Rogamus pro genere humano, rogamus pro orbe terrarum, pro omnibus gentibus, quotidie sedentibus et disputantibus, quia non est rectus Deus, et non recte iudicat Deus; ut aliquando ipsi se corrigant, et rectum cor ad illius rectitudinem ducant; et adhærentes ei, directi ad rectum, non jam vituperent, sed placeat rectis rectus : quia, « Quam bonus Deus Israël, sed rectis corde<sup>2</sup>. » Ergo cum videret iste qui cantat, iste ipse nos ipsi, id est, corpus Christi, membra Christi; cum videret quanta præstiterit Deus generi humano, cui antea aut nullus, aut falsus, aut non tam magnus videbatur Deus, in operibus ejus eum videns, « Domine Deus meus, inquit, magnificatus es nimis : » id est, qui nondum te intelligebam, intelligo te magnum. Magnus semper, etiam occultus : sed mihi tunc magnus, quando apparuisti. Magnificatus es ergo ex me : quo modo « Mirificata est scientia tua ex » me<sup>3</sup>; » mira enim facta est ex me. Ego illam miror conversus ad illam : illa autem etsi non convertar, etsi post conversionem avertar, integra permanet. Sed ego jam magnus factus in ea, et ex deminuto factus integer in ea,

<sup>1</sup> Tit. 1, 15. — <sup>2</sup> Psal. LXXII, 2. — <sup>3</sup> Id. CXXXVIII, 6.

miror quod non noveram, non quod modo magnum factum est ex quo didici, sed quia magnus factus sum ex quo didici. Audi jam et ubi videtur magnificatus Deus nimis, semper magnus : magnificatus enim nimis in operibus suis ad nos.

IV. « Confessionem et decorem induisti. » Ante decorem confessionem posuit, decus in pulchritudine. Quæris pulchritudinem, bonam rem quæris. Sed quare quæris pulchritudinem, o anima? Ut amet te sponsus tuus : etenim displices ei foeda. Ille enim qualis est? « Speciosus forma » præ filiis hominum. » Osculari vis foeda pulchrum ; sed non attendis, quia tu iniquitatibus plena es. « Diffusa est » autem gratia in labiis tuis. » Sic enim de illo dictum est : « Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est » gratia in labiis tuis ; propterea adolescentulæ dilexerunt » te<sup>1</sup>. » Est ergo quidam formosus, est quidam pulcher præ filiis hominum : etsi filius hominis, tamen præ filiis hominum. Huic tu placere vis, o anima humana, o una in multis? Audiamus Ecclesiam ; « Quia erat illis » anima una et cor unum in Deum<sup>2</sup> : » hanc alloquitur Psalmus. Vis ei placere? Non potes, quandiu deformis es : quid facies ut pulchra sis? Prius tibi displiceat deformitas tua, et tunc ab illo ipso cui vis placere pulchra, mereberis pulchritudinem. Ipse enim erit reformator tuus, qui fuit formator tuus. Ergo prius attende quæ sis, ne audeas ire foeda in pulchri oscula. Et quid intuens, inquis, me videbo? Posuit tibi speculum Scripturam suam ; legitur tibi : « Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt<sup>3</sup>. » Speculum in hac lectione propositum est : vide si hoc es, quod dixit ; si nondum es, geme ut sis. Renuntiabit tibi speculum faciem tuam : sicut speculum non senties adulatorem, sic nec te palpes. Hoc tibi ostendit nitor ille quod

<sup>1</sup> Psal. XLIV, 3. — <sup>2</sup> Act. IV, 32. — <sup>3</sup> Matth. V, 8.

es : vide quod es ; et si tibi displicet , quære ut non sis. Si enim cum foeda sis , tibi ipsi adhuc displices , pulchro jam places. Quid ergo ? Quoniam displicet tibi foeditas tua , incipis ei in confessione : sicut alibi dicitur , « Incipite » Domino in confessione<sup>1</sup>. » Primo accusa foeditatem tuam : foeditas enim animæ de peccatis , de iniquitatibus. Accusando foeditatem tuam incipe confiteri , a confessione incipis decorari : quo decorante , nisi specioso forma præ filiis hominum?

V. Ut autem et decoram faceret , audeo dicere , amavit et foedam. Quid est , amavit et foedam ? « Etenim Christus » pro impiis mortuus est<sup>2</sup>. » Quam vitam tibi servat justificato , qui suam mortem donavit et impio ? Ecce pulcher ille et speciosus forma præ filiis hominum , quia justissimus præ filiis hominum , quoniam veniebat ad foedam , ut faceret pulchram , ( dicam et hoc , quia in Scripturis invenio , ) foedus factus est. Non me in hoc audiatis , ne in hoc verbum temere lapsus sim. Sicut enim dixeram : Amavit et foedam ; non autem quasi congruenter dixeram quibusdam illum amantibus , nisi mihi testis procederet ; et dixi quod dixit Apostolus. Vis nosse quod amarit et foedam ? « Christus pro impiis mortuus est : » sic et modo quod dixi , Ut veniret ad foedam , foedus factus est , deformis factus est , quomodo probabo ; quando jam mihi prædixit divinum eloquium , « Speciosus forma præ filiis hominum ? » Sed in ipso divino eloquio rursus habeo , « Vidimus eum , » et non habebat speciem , neque decorem<sup>3</sup>. Speciosus » forma præ filiis hominum : Vidimus eum , et non habebat speciem , neque decorem. » Non dixit : Non vidimus , et ideo nesciebamus utrum haberet speciem vel decorem ; « Ecce vidimus , et non habebat speciem , neque decorem. » Ubi ergo illum vidit qui dixit , « Speciosus forma præ filiis

<sup>1</sup> Psal. cxlvi, 7. — <sup>2</sup> Rom. v, 6. — <sup>3</sup> Isai. lvi, 2.

» hominum ? » et ubi illum vidit qui dixit , « Non habebat » speciem , neque decorem ? » Audi ubi eum vidit qui dixit , « Speciosus forma præ filiis hominum. Cum in forma » Dei esset , non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo<sup>1</sup>. » Merito præ filiis hominum , quia æqualis Deo. Ecce accepi , et agnovi ubi eum viderit qui dixit , « Speciosus forma præ » filiis hominum. » Respondit enim nobis , Ubi viderim , quæris ? « In forma Dei. » Et unde vidisti in forma Dei ? quomodo vidisti in forma Dei ? « Quia invisibilia ejus per ea » quæ facta sunt intellecta conspiciuntur<sup>2</sup>. » Bene , optime ; accepi , agnovi , et quem videris , et qualem videris , et ubi videris , et unde videris. Quem vidisti ? Sponsum nostrum. Qualem vidisti ? « Speciosum forma præ filiis » hominum. » Ubi vidisti ? « Cum in forma Dei esset : » Unde vidisti ? « Per ea quæ facta sunt intellecta conspi- » ciuntur. » Videamus et de isto quid dicat alius Propheta , sed non alius spiritus : non enim discordant inter se. Exhibuit nobis ille speciosum forma præ filiis hominum ; exhibeat et iste quod ait : « Vidimus eum , et non ha- » bebat speciem , neque decorem. » Unus apostolus Paulus Prophetam utrumque conjungit ; unum capitulum Pauli utriusque Prophetæ perhibet testimonium. Ibi habeo speciosum forma præ filiis hominum : « Qui cum in forma » Dei esset , non rapinam arbitratus est esse æqualis » Deo<sup>3</sup>. » Ibi dixit , quod vidit et alius , non habentem speciem , neque decorem : « Quia semetipsum » exinanivit formam servi accipiens ; in similitudine ho- » minum factus , et habitu inventus ut homo ; humili- » liavit se , factus obediens usque ad mortem , mortem » autem crucis<sup>4</sup>. » Merito viderunt eum , et non habebat speciem , neque decorem. Merito ante crucem agitabant caput : Hicne est totus Filius Dei ? « Si Filius Dei est ,

<sup>1</sup> Philip. ii, 6. — <sup>2</sup> Rom. i, 20. — <sup>3</sup> Philip. ii, 6. — <sup>4</sup> Ibid. 7, 8.

» descendat de cruce<sup>1</sup>. » Sed non habebat speciem, neque decorem. Etiam sic, o quibus displicet, quia non habebat speciem, neque decorem! O agitates caput ante crucem, et non figentes caput in capite quod pendebat in cruce! Merito nutat insultantium caput; donec sit eorum caput ille ipse, cui insultabatur. Ecce resumit decorem, et magnum decorem. Ecce quod dicis tu, minus est quam quod fecit. Dicis tu, « Si Filius Dei est, descendat de cruce. » Ecce de cruce non descendit, sed de sepulcro resurrexit.

VI. Ergo, anima, decora esse non potes, nisi confessa fueris foeditatem ei qui semper pulcher, et propter te ad tempus non pulcher; et sic ad tempus non pulcher in forma servi, ut nunquam defecerit a pulchritudine quæ est in forma Dei. Ergo tu, Ecclesia, habes decorem: dicitur et tibi in Canticis canticorum, « O decora inter mulieres<sup>2</sup>. » Dicitur de te, « Quæ est ista quæ ascendit dealbata<sup>3</sup>? » Quid est, « dealbata? » Illuminata: non dealbata, sicut fucata, quemadmodum se dealbant foeminae, quæ volunt videri quod non sunt: non dealbata, sicut paries dealbatus; destruetur enim, sicut dicit Apostolus, paries dealbatus<sup>4</sup>, hypocrisis et simulatio. Paries dealbatus, foris tectorium, intus lutum. Non ergo illa sic dealbata; sed dealbata, illuminata, quia non per se alba. « Prius, inquit, » fui blasphemus<sup>5</sup>: » et item, « Fuimus enim et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri<sup>6</sup>. » Accedit gratia illuminans et dealbens: primo nigra fuisti, sed facta es alba ex gratia illius. « Fuistis enim aliquando tenebræ, » nunc autem lux in Domino<sup>7</sup>. » Dicitur ergo et de te, « Quæ est ista, quæ ascendit dealbata? » Jam mirabilis, jam vix contemplabilis. Admirantis est enim dicere, « Quæ est » ista, quæ ascendit dealbata, » tam pulchra, tam lu-

<sup>1</sup> Matth. xxvii, 40. — <sup>2</sup> Cant. v, 9. — <sup>3</sup> Id. viii, 5, juxta lxx. — <sup>4</sup> Act. xxiii, 3. — <sup>5</sup> 1 Tim. iii, 13. — <sup>6</sup> Ephes. ii, 3. — <sup>7</sup> Id. v, 8.

minosa; tam sine macula et ruga<sup>1</sup>? Nonne ista est, quæ jacebat in cœno iniquitatum? Nonne ista est, quæ jacebat in fornicatione idolorum? Nonne ista est, quæ immunda erat in omni cupiditate desiderioque carnali? « Quæ est ergo » ista quæ ascendit dealbata? » Attende quis sit ille, qui pro ea factus est non habens speciem, neque decorem, et intelligis hujus claritatis honorem. Si miraris illius humilitatem propter hanc, noli jam mirari hujus celsitudinem propter illum. Quantæ felicitatis est ista dealbata, ut et cum esset nigra, pulchrum ad se deponeret, qui pro impiis moreretur? Ergo induit se Dominus Deus noster confessionem et decorem, induit se Ecclesiam: ipsa enim Ecclesia confessio et decor. Ante confessio, postea decor; confessio peccatorum, decor recte factorum. « Confessio- » nem et decorem induisti. »

VII. « Circumamictus lucem, sicut vestimentum<sup>2</sup>. » Ipsa est vestis ejus, de qua jam dixi: « Non habens maculam, » neque rugam. » Lux vocatur; et hoc jam dixi: « Fuis- » tis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » Non ergo in vobis: nam tenebræ in vobis, lux autem in Domino. Ergo, « Circumamictus lucem, velut vestimen- » tum. Extendit cœlum sicut pellem. » Quomodo fecerit hoc, ut indueret se sicut vestimentum lucem Ecclesiam, enumerare vult figuratis quibusdam sacramentis: quomodo lux facta sit Ecclesia, quomodo facta sit sine macula et ruga, quomodo facta sit candida, dealbata fulgens in vestitu sponsi sui, inhærens illi, quomodo facta sit, audiamus. « Extendit cœlum sicut pellem. » Et hoc quidem video. Quis enim extendit hoc cœlum quod nostris carnalibus oculis intuemur, nisi Deus? « Et exten- » dit sicut pellem, » ad facilitatem redegit, si ad litteram accipias. Etenim cum videris istam fabricam magnam,

<sup>1</sup> Ephes. v, 27. — <sup>2</sup> Psal. ciii, 2.

quia quisquis hominum unam vel parvam cameram extenderit, magno molimine, magno labore et difficultate ac diuturna operatione id facit; ne hujusmodi laborem in Dei operibus infirmitas suspicaretur humana, attulit quamdam facilitatem pro tua capacitate, ut sic quodam modo incipias credere facile operantem Deum, et non putare sic eum extendisse cœlum, sicut tu tectum domus tuæ; sed quam tibi facile est extendere unam pellem, tam facile illi fuisse extendere tam magnum cœlum. Mira facilitas, et tamen adhuc Spiritus tibi tardo loquitur. Tibi, inquam, adhuc tardo loquitur Spiritus. Nam nec sic extendit Deus cœlum, sicut et tu pellem. Si enim sic extendit, ecce ante te pellis vel rugosa, vel plicata ponitur; dic ut extendatur, dicto tuo extende pellem. Non possum, inquis. Ergo et in extendenda pelle multum longe es a facilitate Dei. « Ipse enim dixit, et facta sunt<sup>1</sup>. » Dixit, « Fiat firmamentum inter aquam et aquam: et sic factum est<sup>2</sup>. » Tamen propter facilitatem significandam, secundum sensum tuum acceperis aliquid interim ad litteram.

VIII. Figurate autem si aliquid tectum retegi volumus, et pulsare ad clausum, invenimus extendisse Deum cœlum sicut pellem, ut intelligamus cœlum sanctam Scripturam. Hanc auctoritatem primo posuit Deus in Ecclesia sua, inde cœpit exequi cœtera: posuit enim cœlum, et extendit sicut pellem, et non frustra sicut pellem. Primo istam famam prædicantium extendit sicut pellem: pellis mortalitatem significat: propterea et illi duo homines primi parentes nostri, auctores peccati generis humani, Adam et Eva, cum in paradiso contempto Dei præcepto ad suggestionem suasionemque serpentis transgressi essent quod jusserat Deus, facti mortales dimissi sunt de paradiso; ut autem significaretur ipsa mortalitas eorum, induti sunt

<sup>1</sup> Psal. cXLviii, 5. — <sup>2</sup> Gen. 1, 6.

tunicis pelliceis; de pellibus enim tunicas factas acceperunt<sup>1</sup>: pelles autem detrahi non solent, nisi animalibus mortuis: ergo pellium nomine mortalitas illa figurata est. Quid ergo, hic si divina Scriptura significatur pellis nomine, quomodo Deus de pelle fecit cœlum, et « Ex- » tendit cœlum sicut pellem? » Quia per quos nobis Scriptura prædicata est, mortales fuerunt. Illud quidem Verbum Dei semper idem, semper incommutabile atque indeficiens. Ecce, « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum<sup>2</sup>. » Numquid erat, et modo non est? Et est, et semper erit. Si ergo est Verbum Dei Deus apud Deum, lege si potes. Sed quid dicis, quia sursum est, et ideo legere non potes? Ubique est Verbum Dei: pertendit a fine usque ad finem fortiter, et attingit omnia propter suam munditiam<sup>3</sup>. « In » hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est<sup>4</sup>: » et cum venit, hic erat. Venit enim in carne, nunquam absens Divinitate. Quare ergo legere non poteris? « Quia » in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam » Deum, » ibi constitutus in sapientia Dei; omnia enim ibi, et ipsa subtracta nulla sunt; ibi constitutus non poteris cognoscere per sapientiam Deum: ergo necessarium erat quod sequitur: « Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes<sup>5</sup>. » Si per stultitiam prædicationis salvi futuri erant credentes, elegit Deus quædam mortalia; elegit homines mortales et morituros; adhibita lingua mortali exhibuit sonos mortales; adhibita dispensatione mortalium adhibuit instrumenta mortalia, et in eo tibi factum est cœlum, ut in re mortali cognosceres Verbum immortale, et fieres tu quoque ejusdem Verbi participatione immortalis. Vixit Moyses, et mortuus est:

<sup>1</sup> Gen. iii, 21. — <sup>2</sup> Joan. 1, 1. — <sup>3</sup> Sap. viii, 1. — <sup>4</sup> Joan. 1, 10. —

<sup>5</sup> I Cor. 1, 21.

ait enim illi Deus : « Ascende in montem, et morere<sup>1</sup>. » Mortuus est Jeremias, et tot Prophetæ mortui sunt : et mortuorum dicta, quia non eorum, sed per eos illius erant : « Qui extendit cœlum sicut pellem, » manent usque ad posteritatem nostram. Ecce Apostolus solutus de hac vita, qui dixit : Dissolvi et esse cum Christo, multo magis esse optimum<sup>2</sup>, vivit nunc cum Christo, sicut illi Prophetæ omnes vivunt cum Christo : sed per quid nobis dispensavit id quod legimus? Per id quod moriturum erat, per os, per linguam, dentes, manus. Omnia ista quibus operatus est Apostolus totum quod legimus, corporis officia sunt, sed jubente anima cui jubebat Deus : propterea extentum est cœlum sicut pellis. Nos sub cœlo, tanquam sub pelle divinarum Scripturarum legimus modo, cum tenditur. « Etenim postea cœlum plicabitur ut liber<sup>3</sup>. » Non frustra, fratres, hic ut pellis, ibi ut liber : figuratum ibi quiddam nobis est. Quod ad divinam Scripturam atinet, extenditur sermo mortuorum : ergo ideo tenditur sicut pellis ; et multo magis tenditur, quia illi mortui sunt. Nam post mortem plus innotuerunt Prophetæ et Apostoli ; non erant tam noti cum viverent : Prophetas vivos sola Judæa habuit, mortuos omnes gentes. Cum enim viverent, nondum erat extenta pellis ; nondum erat extentum cœlum, ut tegetet orbem terrarum. « Extendit ergo cœlum sicut pellem. »

IX. « Qui protegit in aquis superiora ejus<sup>4</sup>. » Et hoc legimus, et ad litteram bene intelligitur. Quando enim jussit ut fieret firmamentum inter aquas et aquas, factum est<sup>5</sup>, ut sint aquæ inferiores quæ perfundunt terras, et sint aquæ superiores remotæ ab aspectibus, tamen fidei commendatæ. « Et aquæ, inquit, quæ super cœlos sunt,

<sup>1</sup> Deut. xxxii, 49. — <sup>2</sup> Philip. i, 23. — <sup>3</sup> Isai. xxxiv, 4. — <sup>4</sup> Psal. ciii, 3. — <sup>5</sup> Gen. i, 6.

» laudent nomen Domini : quoniam ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt<sup>1</sup>. » Ergo explicatus est sensus ad litteram : protegit enim in aquis superiora ejus. » Quid ad figuram? Quoniam in figura accepimus pellem Scripturam sanctam, et auctoritatem divini verbi dispensatam nobis per mortales, quibus mortuis ejusdem dispensationis fama extenditur : secundum hoc quomodo, « Protegit in aquis superiora ejus? » Cujus superiora? Cœli. Et quid cœlum? Sancta Scriptura. Quæ sunt superiora sanctæ Scripturæ? Quid invenimus in Scripturis sanctis superius? Paulum interroga : « Supereminentiorem, inquit, viam vobis demonstro<sup>2</sup>. » Quam dicit supereminentiorem viam? « Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut ærumentum sonans, aut cymbalum tinniens<sup>3</sup>. » Si ergo nihil supereminentiore in Scriptura sancta inveniri potest quam charitas ; superiora cœli quomodo in aquis protegentur, si superiora Scripturæ præcepta charitatis sunt? Audi quemadmodum : « Charitas, » inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis<sup>4</sup>. » Jam nomine diffusionis intellige aquas in charitate Spiritus sancti. Hæ sunt aquæ, de quibus dicitur in quadam Scriptura : « Et in platis tuis discurrant aquæ tuæ, nemo alienus communicet tibi<sup>5</sup>. » Alieni enim omnes a via veritatis, sive Pagani, sive Judæi, sive hæretici ; et mali quique Christiani habere multa dona possunt, charitatem non possunt. Hoc ipsum quale donum est? Ut non loquamur de donis aliis foris, quæ dona habent omnes homines, quia facit solem suum oriri super bonos et malos<sup>6</sup> : dona Dei sunt, et non tantum bonis et malis communia, sed etiam bestiis et pe-

<sup>1</sup> Psal. cxlviii, 4, 5. — <sup>2</sup> 1 Cor. xii, 31. — <sup>3</sup> Id. xiii, 1. — <sup>4</sup> Rom. v, 5. — <sup>5</sup> Prov. v, 16, 17. — <sup>6</sup> Matth. v, 45.

coribus. Ipsum esse, vivere, videre, sentire, audire, et cæteris fungi sensuum muneribus, dona Dei sunt : sed videte cum qualibus et quam multis communia, et cum eis quos nolis imitari. Ipsum ingenium acutum habent et pessimi homines, solertem artium industriam habent et turpissimi scenici, divitias habent et latrones, conjugia, filios multi mali habent. Pulchra dona Dei omnia, nemo negat : sed vide cum quibus communia. Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis sacramentis, quale munus est? Hoc munus adeptus est et Simon magus<sup>1</sup>. Prophetia quale munus est? Prophetavit et Saül malus rex, et tunc prophetavit, cum David sanctum persequeretur<sup>2</sup>. Intendite : non dixi, cum persecutus fuisset. Fortassis enim eum persecutus pœnitentiam gessit, et dignus fuit spiritu prophetandi. Non persecutus, neque persecuturus, sed persequens prophetavit. Misit ad comprehendendum David ministros suos : David vero eo tempore inter Prophetas erat, ubi erat et sanctus Samuël : impleti sunt spiritu prophetiæ qui missi sunt, et prophetaverunt. Sed forte bono illi animo venerant, vel ob necessitatem officii sui, vel non facturi quod jussum est. Misit et alios : hoc et in eis factum est ; et eorum hoc modo animum interpretemur. Cum illi tardarent, venit ipse furens, anhelans cædem, sanguinem sitiens innocentis Sancti, cui etiam ingratus erat : et ipse impletus est spiritu prophetandi, et prophetavit. Non ergo se jactent qui forte sine charitate habuerint hoc munus Dei sanctum, sicut sanctum baptismum : sed videant qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur. Ex his erunt qui dicturi sunt : « In nomine tuo prophetavi- » mus. » Non illis dicetur : Mentimini ; sed dicetur :

<sup>1</sup> Act. viii, 13 et 18. — <sup>2</sup> 1 Reg. xix, 18-24.

« Non novi vos, recedite a me qui operamini iniquita- » tem<sup>1</sup>. Quia si habeam omnem prophetiam, charitatem » autem non habeam, nihil sum<sup>2</sup>. » Prophetavit et Saül, sed operabatur iniquitatem. Quis autem operatur iniquitatem, nisi qui non habuerit charitatem? « Plenitudo » enim Legis, charitas<sup>3</sup>. » Ergo « Protegit in aquis su- » periora ejus : » quid dixit? In omnibus Scripturis supereminentissimam viam, supereminentissimum locum charitas obtinet ; non ad eam aspirant nisi boni ; hanc nobiscum non communicant mali : possunt communicare baptismum, possunt communicare cætera sacramenta, possunt communicare orationem, possunt communicare istos parietes, et istam conjunctionem ; charitatem nobiscum non communicant. Ipse est enim fons proprius bonorum, proprius sanctorum, de quo dicitur : « Nemo » alienus communicet tibi<sup>4</sup>. » Qui sunt alieni? Omnes qui audiunt : « Non novi vos. » Si enim non cognoscuntur, utique alieni sunt, quibus dicitur : « Non novi vos. » Supereminens ergo via charitatis tenet eos, qui proprie pertinent ad regnum cœlorum. Ergo præceptum charitatis super cœlos ; super omnes libros : ei enim subduntur libri, ei militat omnis lingua sanctorum, et omnis motus dispensatorum Dei, et animi et corporis. Supereminens est ergo via, et merito protegit in aquis superiora cœli ; quia nihil invenis eminentius charitate in divinis Libris.

X. Sed adhuc evidentius audi quid aqua sit. Diximus enim quod charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis<sup>5</sup>. Diximus etiam : « In plateis discurrant atque tuæ<sup>6</sup>. » Et ait mihi aliquis : Non ibi expresse dictum est, utrum charitatem intelligere debeam : quid si alius aliud aliquid intelligat? Tantum

<sup>1</sup> Matth. vii, 22, 23. — <sup>2</sup> 1 Cor. xiii, 2. — <sup>3</sup> Rom. xiii, 10. — <sup>4</sup> Prov. v, 17. — <sup>5</sup> Rom. v, 5. — <sup>6</sup> Prov. v, 16.



memento quod ait Apostolus : « Charitas Dei diffusa est in » cordibus nostris. » Unde? « Per Spiritum sanctum, » qui datus est nobis. » Audi jam Dominum magistrum Apostolorum : « Si quis sitit, veniat, et bibat. » Dicit adhuc : « Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de » ventre ejus. » Quid est hoc? Exponat Evangelista : « Hoc autem dicebat, inquit, de Spiritu quem accepturi » erant credentes in eum : Spiritus enim nondum erat » datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. » Ergo, fratres, si propterea Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus; glorificato eo et ascendente in cœlos, missus est Spiritus sanctus<sup>1</sup>, et charitate impleti sunt Apostoli<sup>2</sup>, diffusa in cordibus eorum per Spiritum sanctum, qui datus est eis; quia superiora cœli aquis proteguntur. Et bene, quia Dominus in cœlos ascendit, ut superior esset cœlis, et inde mitteret charitatem. Non enim sic Deus protegit, ut quasi sustentetur ab eo quem protegit : sublevat quem protegit, non onerat. Ita ergo cœlum aquis protegunt, ut magis illud divino Spiritu sublevetur. Quod sublevat, sursum est; quod sublevatur, infra est : illud suspendit, hoc pendet. Si ergo illud suspendit, hoc pendet; audi quia hoc cœlum Scripturarum ex charitate pendet. Duo sunt nempe illa notissima præcepta dilectionis : « In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ<sup>3</sup>. Qui protegit in aquis superiora ejus<sup>3</sup>. »

XI. « Qui ponit nubes ascensum ejus. » Accipitur et hoc bene ad litteram. Dominus visibiliter ascendit in cœlum. Quomodo positæ sunt nubes ascensum cœli? « Hæc cum » dixisset, nubes suscepit eum<sup>4</sup>. » Habes item de resurrectione nostra prædictum : « Et mortui, inquit, in Christo » resurgent primi; deinde et nos qui vivimus, simul cum » illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra,

<sup>1</sup> Joan. vii, 37-39. — <sup>2</sup> Act. ii, 4. — <sup>3</sup> Matth. xxii, 40. — <sup>4</sup> Act. i, 9.

» atque ita semper cum Domino erimus<sup>1</sup>. » Habes nubes ascensum cœli : ostendam et nubes ascensum cœli hujus, id est, divinarum Scripturarum. Quid est hoc, fratres? Utinam me Dominus Deus meus inter illas qualescumque nubes numerare dignetur; viderit quam nebulosa nubes sim : omnes tamen prædicatores verbi veritatis nubes accipite. Quicumque ergo infirmi non possunt ascendere in hoc cœlum, id est, ad intellectum Scripturarum, per nubes ascendant. Forte enim et modo fit vobis, si aliquid agimus, si labor sudorque noster non est infructuosus, ascenditis in cœlum Scripturarum divinarum, hoc est, in intellectum earum per prædicationem nostram. Quam altum erat cœlum in Psalmo isto! Nemo enim vestrum videbat, quid esset in figura : « Extendit cœlum sicut pellem, » qui protegit in aquis superiora ejus. » Hoc ipsum quod dictum est : « Qui ponit nubes ascensum ejus : ecce jam intellectum est, quantum Dominus donavit, prædicantibus nobis; non enim nubes de suo munere pluunt. Vos intelligendo ascendite, in intellectu ipso fructificate; ne sitis qualis illa vinea, de qua dicitur apud Prophetam : « Mandabo nubibus meis ne pluunt super eam<sup>2</sup>. » Accusabatur enim quædam vinea, quod pro uva spinas dederat, non reddiderat dignam gratiam dulci pluvie. Qui enim bona audit, et mala operatur, dulci pluvia compluitur, et spinas generat. Non est ut suspicemur, fratres, de aliqua terrena et ista visibili vinea Dominum locutum. Namque ibi ne sub obscuritate sermonis lateret excusatio iniquitatis, ipse Dominus per ipsam Prophetam exposuit cui vineæ loqueretur, et de qua vinea ista diceret : « Vinea, inquit, Domini Sabaoth, domus Israël est. » Quid vagantur, o iniqui, corda vestra per montes et colles vinitorum? Novi, inquit, de qua vinea loquar, novi ubi

<sup>1</sup> Thess. iv, 15, 16. — <sup>2</sup> Isai. v, 6.